Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 393
Quelle:
Copyright:

tur *Pentateuchus*, *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *Hester*, *Tobie*, *Judith*, IV. *Regum*, *Prophetae* min. *Job*, cujus maxima pars trajecta post *Danielem*, *Psalterium*, *Esdras*, *Machabaei*, *Prophetae* maj. *Epistolae Canonicae* et *Paulinae*. Nihil igitur de *Paralipomenis* et *Libris Salomonis*, nihil de *Evangeliis* et *Apocalypsi*. In marginibus citantur *Capita Libror.* et varia superadduntur. Atque ejusmodi adminiculis fovendum erat studium Verbi Dei eo tempore, quo Biblia integra manu descripta facile privati hominis loculos exhauriebant. Itaque, qui sacrae lectionis neglectum majoribus nostris exprobrabant, parum ultra nasum suum prospexere. Ego vero lubenter ἐπικελευσμα repeto, quod *Raph. Zovenzonius Tergestinus* noster *Plinio* majori a *Job. de Spira Venetiis* 1469. primum typis excuso accinuit:

Fessa manus quondam, moneo, calamusque quiescat;
Namque labor studio cessit, et ingenio.

CCXLII.

U. 51 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 286. f. non una manu per duas columnas nitide exaratus, coloribusque distinctus, et ducali olim Collegio donatus a M. *Ruperto Weissenburger ex Pruck* Theol. Prof. et D. *Stephani* Canonico, qui a. 1469. Academiae Rector praefuit, complectitur sequentia: I. *Incipiunt capitula super distinctiones exemplorum noui et ueteris testamenti abbreuiatas et eductas ad diuersas materias secundum ordinem alphabeti per fratrem bindum* (Guerri) *de senis ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini.* Censentur *Capitula* CXXXVIII. quorum primum *de Abstinentia et Jejunio*, postremum *de Zelo indiscreto*. Plures fuisse, qui ejusmodi operam Verbi Dei Praedicatoribus potissimum navarunt, notum est Eruditis, neque ingratum fuerit Lectoribus, si hic *Cuique Suum* tributum videant. *Nicolaus de Hanapis* O. P. ✠ 1291. compilavit *Exempla sacrae Scripturae* ordine quodam doctrinae. Horum initium: *Creatio rerum fuit ita mirabilis* &c. Edita sunt sub *Bonaventurae* nomine et titulo *Bibliorum Pauperum Venetiis* jam 1477. 4. Falsus tamen est *Quetifus* in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 426. asserendo simpliciter, *Hanapi* ordinem conversum fuisse in alphabeticum. Vide *Bonaventurae Opp. omn. Lugd.* 1668. T. VII. p. 436. f. *Thomas de Hibernia* itidem Ord. Praed. ✠. post annum 1316. concinnaverat *Flores Doctorum*, quibus additi sunt in posterioribus Editionibus etiam *Flores Bibliorum* ordine alphabetico, hoc initio: *Abstinentia. Vir sive Mulier cum fecerint votum* &c. Atque hos *Flores* negat *Quetifus* T. I. p. 745. esse *Hibernici*, et reipsa sine ejus nomine mihi adjacent impressi *Antverp.* 1555. 8.